

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA QVINTA HEBDOMADAE QVARTAE QVADRAGESIMAE, Epist. 4. Reg. 4.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

parentibus consanguineisque derelictus ob Christi confessionem, extrâque synagogâ factus, à Deo se derelictû vereri nō debet. Nā cæcus hic, à genitoribus ferè oblitus, à Phariseisq; reiectus, à Christo tamen suscipitur. Hinc David, Quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autē assumpsit me, Psal. 26.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE

QVARTAE QVADRAGESIMAE,

Epist. 4. Reg. 4.

Facta est ergo dies quædam, & Veniens diuertit in coenaculum, & requieuit ibi, &c. Finis Epistolæ: Vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar, &c.



RAESSENTIS Epistolæ historia, sub velamine literæ, grauissima sacramenta cōplectitur: Potissimum autē proponit quatuor.

1. Primò, Matrem familiâs, morte filij consternatam, ab Elisæo solatium petentem, & impetrantē, dum sese humili deiectione ad pedes Elisæi in monte Carmeli agentem proiecisset: extorserat enim hanc humilitatem nimius de filij morte dolor, quam dum prohibere Giezi vellet, impeditur ab Elisæo. Non est enim tristibus, afflictis, & miseris augendus dolor, sed qua ratione fieri potest leniendus, ne abundantiore tristitia absorbeantur, 2. Cor. 2. Quòd aut occurrentem Giezi contemnit, aut præterit, soli Elisæo volens animi sui morem indicare, significat humana illa solatia, quæ ex rebus præsentibus subinde quærimus, augere potius, quàm lenire afflictæ conscientie dolores, & iuxta oraculum, Psal. 36. reuelandam esse Domino viam tuam, in eo sperandum, &c. Siquidē facturus sit vltra quàm petimus, aut intelligimus, Ephes. 3. Hac enim fide, iuxta Christi promissum, quisquis, Luc. 11. quærir, petit, & pulsar, sciat sese inuenturum, accepturum, & intraturum. Singularem enim hanc Dei mansuetudinem, qua non deserit sperantes in se, expressit Elisæus, dum tam facilem se præbet oranti, imò famuli ministerium repudiā-
met ipsum comitem iunxit.

*Afflictis
non addenda
afflictio.*

*Deus sperantes
in se non
deserit.*

FERIA QUINTA

2. Secundò, Legis Mosàicæ imperfectionem, quæ licet sancta, iusta, & bona esset, Rom. 7. neminem tamen ad perfectum adducere potuit, Heb. 7. quod, Aug. teste, adumbratum est ista Giezi missione, qui Elisæi baculo ad excitandum mortuum destinatur, magna præceptorum seueritate. Nā quòd lumbos præcingere, baculum in manu tenere, salutantes non resalutare, super mortuo baculum ponere, præcipitur Giezi, grauitatem designat veterum præceptorum moralium, iudicialium, & caeremonialium, quæ propter transgressionem posita, sola peccati cognitionem exhibuerunt, Ro. 3. Gal. 3. & mortuum esse hominem conuicerunt, dum augent prohibitionem peccatum, & per occasionem iram operantur, omnes esse peccatores ostendunt. Quam legis infirmitatem agnoscens nostra Sunamitis, ab Elisæo se diuelli non patitur. Sed inquit, *Vixit Dominus, et viuit anima tua, non dimittam te*, personam eorum exprimens, qui tam vehemèti desiderio veri liberatoris, & resuscitatoris Christi aduētum exoptarunt, dicentes, Rorate cali desuper, & nubes pluant iustum, vinam dirumperes calos & descenderes, Isa. 45. 64. Agnoscens ex fide iustificationem, gratiam, & remissionem peccatorum, in quibus vera consistit animæ vita, nequaquam virtute legis obtineri posse, sed solius promissi Messie passione, morte, & resurrectione, per cuius victoriam stimulus mortis, scilicet peccatum, 1. Corinth. 15. & virtus peccati, nempe lex, absorberetur.

3. Tertiò, Gratiam noui testamenti mortuo puero exhibitam aduentu Christi, quæ, quod impossibile erat legi, mortuum nempe suscitare, perfecit. Venit enim Christus Iesus in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. Timoth. 1. Matth. 9. non poterant nāque hominem vel cognitio legis, vel naturæ vires in vitam reuocare: nam si aut per naturam, aut per legem esse potuisset iustitia, omnino gratis Christus mortuus esset. Sed cōclut scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credētibus, Gal. 3. Vt enim inuenit hunc puerum Elisæus mortuum, & decumbentem in lecto, ita totum mundum in maligno positum, dānationi obnoxium, iræ Dei subiectum, illecebris carnalium volu-

ptatum irretitum inuenit Christus, vt rectè dicat scriptura, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, Rom. 3. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, Psal. 13. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Aded enim eligit natura sine gratia, vt excæcata ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum, nihil quod ad salutem pertinet operari potuerit: quod de Iudæis æquè, ac gentilibus ostendit Apostolus, Roman. 10. Dum enim Iudæi suam volunt statuere iustitiam, iustitiæ Dei non subiiciuntur, & dum gentes cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, Romanorum 1.

4. Quartò Gratiā per Christum allatā, omnibus æqualiter sine discrimine, tum paruulis, tum adultis, esse communicandā, dum Eliseus clauso ostio sese ita super puerum strauit, vt os suum, oculos, & manus, super pueri os, oculos, & manus poneret. Quod etsi ratio. *Scripturā ni humanā impossibile videatur, credat tamen ratio ne credendū, nō esse est scripturā, ac diuinā admiretur potētiam, quā humanā rationē.* semetipsum filius Dei exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo: dum semetipsum humiliauit vsque ad mortem, suscepta in se per hypostaticam vnionem humanæ naturæ veritate, & infirmitate, vt calore diuinitatis, cui coniuncta erat humanitas mortalitatis nostræ, sordes purgaret, spiritum charitatis reciperemus, quo excutientes peccati veterum, tandem expergisceremur, & oblatam per ipsum Dei gratiā reciperemus, v tandem, quemadmodum hic puer, o scitemus, & oculos aperiamus, recepto scilicet afflatu spiritus cælestis, quo æternam illam felicitatem anhelemus, & perspecta vtilitate rerum præsentium, agnoscamus nos non esse ancillæ filios, sed liberæ, creptos de potestate tenebrarum, non virtute aut legis, aut naturæ, at per Christum: sed ita vt nos matri restituerit, id est, Ecclesię communioni, vt nimirum datam per ipsam libertatem in occasionem carnis non daremus.

FERIA QUINTA HEBDOMADAE

QUARTAE, EVANGELIUM,

Lucæ 7.

P ij

Et factum est: deinceps ibat Iesus in ciuitate, quæ vocatur Naim, &c. Finis Evangelij: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.



HRISTVS vt se mortis æquæ ac vitæ Dominum demonstraret, præfenti Euangelio tria agit: Nam,

1. Primò, Facto ipso declarat eū se esse, qui in veteri testamento splendido quodam epitheto vocabatur, Psal. 67. Pater orphanorum, & iudex viduarum. Nam orphanum adolescentem immatura morte sublatum vitæ restituit, & viduam mariti, & filij morte desolatam consolatur. Vtrinque diuinitatem, potentiam, mansuetudinem & misericordiam, declarans, tum etiā cur a Patre in mundum missus esset ostendit, nempe, vt destrueret eum, qui habebat mortis imperiū, id est, diabolum, Hebr. 1. & liberaret eos, qui timore mortis obnoxij erant seruituti. Inuidia enim diaboli peccatum intrauit in hunc mundum & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Proinde vt significaret iam adesse tempus, quo peccati, mortis, diaboli, mundi, & inferni tyrannis frangeretur potentia crucis, qua domum fortis intraret, & omnia eius vasa diriperet, in quibus confidebat, Luc. 11. Leui istac velitatione, qualis esset belli futurus euentus, præludit. Porro quum orbitas, quæ ex morte filiorum, vel parentum accidere solet, grauissimos secū dolores afferat, maximè forminis, quarū natura imbecillior est, quàm vt facillè aduersis resistere possint, Christus, vt officiū veri Pastoris, & Episcopi demonstraret, quorum est, vt monet Apostol. 1. ad Timoth. 5. vi duas consolari, iubet eam à fletu cessare: quanquam verò Christus, qua erat potentia efficere potuisset, ne filius vnicus, & matri charissimus moreretur: tamè quia iudicabat hoc Patris sui gloriæ, & Ecclesiæ vtilitati fore vtilius, quodd mortuum resuscitaret, quia ex hac resurrectione agnosceret mundus Deo curæ esse mortuos, atque illi eos viuere. Deinde vt in spem future resurrectionis erigeretur Ecclesia, voluit insigni isto mi

*Orbitas
grauissimos
secum dolo-
res asserre
solet.*

*Episcopi of-
ficiū conso-
lari viduas.*

raculo duo hæc religionis nostræ dogmata, quæ vera sunt apud impios paradoxa, confirmare, qui putant omnia morte deleri. Idèd magna semper religione defunctorum corpora sepeliri, tum solent apud gentes & Iudæos, quæ aliquam rationis scintillam sequebantur, ut testatur Cicero lib. 2. de legibus: penes quas etiam lex erat, ne quis sepulchrum deleteret, ne alienum in ea corpus inferret. Pompa quoque funebris erat frequens, quibus maximum etiam erat supplicium, insepultum abiici. Tum apud eos qui ab ipso statim orbe condito magna semper religione ius sepulturæ coluerunt, ut videre est in funeribus Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph. Passus est enim Christus Sacrosanctum suum corpus honorificè, & cum aromatibus sepeliri. Stephanum quoque magno planctu, honesta sepultura dignati sunt discipuli, Iohannem Baptistam, aliosque Sanctos. Rectè ergo Ecclesia Romana defunctos in Christo loco sacro, & honesta sepultura dignos censet, eosque & lachrymis prosequitur. Eccles. 3. Fili mi, in mortuum produci lachrymas, & secundum iudicium contege corpus illius, & non despicias corpus illius. Malè ergo iam nostro tempore ius sepulturæ contemnit Anabaptistarum insania, violat avaritia Ecclesiasticorum, dum passim vetera monumenta abolent, & rident hæretici omnes.

2. Secundò, Dum lachrymis viduæ ad misericordiam flectitur, constantem Ecclesiæ doctrinam confirmat: qua docet paruulis & mortuis, prodesse posse sacramenta, & preces. Ea enim est misericordia Conditoris, (cui iustissimo suo iudicio non omnibus eam concedat) ut illis prodesse patiatur fidem alienam, quibus præter eam quam ex origine trahunt, nulla potest, ut inquit August. perfidia imputari, & istis sacrificia & oblationes profint: qui quòd viuerent, ut hæc sibi prodesse possent, meruerunt: quibus autem hæc profunt, ad hoc profunt, ut plenior fiat peccatorum remissio. Quid enim filio viduæ profuit fides sua, quæ mortuus non habebat? huic tamen profuit fides matris ut resurgeret. Sicut etiam baiulorù fides profuit paralytico, & mulieris Cananæ filia: à diabolo possessæ. Ea enim est gratia communio- ni Sanctorù concessa, ut pro inuicem sollicita sint mem-

Magna religione defunctorum corpora semper sepulta.

Paruulis & mortuis profunt sacramenta & preces.

bra, & acceptū gratiæ celestis vigorem sibi inuicē communicent. Quod verò Christus matri ætæm prohibet, & loculū attingit, etiā nō rogatus grauissimis de causis agit. Primò, Vt doceat remouēdam esse doloris causā: si quidē is aderat, qui mortuū in vitam reuocaret. Secūdo, Vt omnibus certam spē faceret aduēdi thronū gratiæ cum fiducia: quia si non rogatus subuenit, quid nō facturū, vbi cū lachrymis preces offeruntur? Isaia 65. Tertiò, Quòd accedit, & Sanctissimi corporis contactū loculū tangit: eam esse eius, qui peccato mortuus sit, miseriam docet, vt nisi ipse misericorditer subueniat, nunquam à morte peccati quisquam resurget. Non enim sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, &c.

*Christus ve-
rus mortuus et
vite Domini-
mus.*

*Opera car-
nis.*

3 Tertiò, Huius mortui resurrectione sese docet esse verum mortis, & vitæ Dominum, cui obistere nulla potentia queat. Mox enim vt iusserit, subsistunt baiuli malorum cupiditatum, quibus effertur ad tumulum æternæ damnationis animus: quales sunt, quas vocat Paulus, Gal. 5. opera carnis, scilicet, fornicatio, immundicia, inuidia, ira, superbia, Auaritia, rixæ, & dissensionēs. his enim qui indulserit, & spiritu sancto destitutus fuerit, qui non potest habitare in corpore subito peccatis, quasi mortuus, sensu rerum diuinarum caret, atque harum cupiditatum illecebris agitur huc illuc rapitur, vt subsistere nequeat: donec voce Christi præuenientis voluntatem, ad peccatorum cognitionem reuocetur & surgat. Ephes. 5. Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nemo enim, nisi illo vocante, surgit: luxta illud, Perditio tua ex te Israël: Salus autem tua tantummodò ex me, Osee 13. Illa enim est vocis, & clamoris Christi efficacia, vt penetrabilior sit quouis gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionē animæ ac spiritus, Hebr. 4. Efficit enim hæc non solum vt in malum nō progrediaris, sed etiam vt animo respicias, ac per veram animi cōuersionem, contritionem, confessionem, & satisfactionem, in vitam nouam resurgas, indutus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, Ephes. 4.

Sunt autem ex hoc miraculo varij secuti effectus: nā qui erat mortuus, & resedit, & cœpit loqui, & redditur

matri à Christo. Sunt enim hi veræ penitentiae fructus, *Penitentia fructus.* qui sequuntur iustificatum, vt ambulet in nouitate vite, vt deposito mendacio loquatur veritatē, pec circumueniat in negotio fratrem suū, i. ad The. 4. Eph. 4. Quod verò ipsum matri reddit Christus, hoc esse opinor, quod ad Ro. ait ca. 6. Paulus. Liberati autē à peccato, serui estis facti iustitiæ, ne posthac regnet peccatū in eius mortali corpore, ad obediendū concupiscentiis eius: neque exhibeat se Deo tāquā ex mortuis viuens. Spectatores autē timor inuasit, & Deū magnificat. Est hoc enim veræ *Fidei veræ peculiare, vt o-* fidei peculiare, vt opera diuina & admiretur & laudet, *perā diuinā* quorum hoc primarium est, quod auersum reuocat, *et admiretur* peccatorem iustificat, de huius salute gaudet fidelium *& laudet.* Ecclesia. Vera enim charitas non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati, i. Cor. 13.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE

QUARTAE QVADRAG. EPIST. 3. REG. 17.

Factum est autē post hæc, egrotauit filius mulieris matris familiæ, &c. Finis Epistolæ: Nunc in isto cognoui, quoniam Vir Dei es tu, & Verbum Domini in ore tuo verum est.

HISTORIA hæc tria complectitur. 1. Primò, Quomodo suorum virtutē, & pa- *Quomodo* tientiam exercere soleat Deus, variis nepe *suorum vir-* aduersitatibus, pœnis, & afflictionibus, qui- *tutem et pa-* tentiā De² *exercere so-* bus non secus, ac ignis aurum, eos probat. Quemadmo- *leat.* dū hæc Sareptana vidua, quæ in summa rerū inopia tē- pore famis non sine periculo propriæ salutis, Eliam ho- spitio exceperat, & victu liberaliter aluerat, hoc videtur à Deo beneficiū consecuta, quod vnico filio, cui tāquā baculo senectutis inniti poterat, inopinata morte priuatur. Vnde oblita miraculi, quo eā ministerio Prophetæ toto tempore famis, aluerat Deus, grauiter cum Prophetæ exposulat infirmitate nature, & doloris acerbitate victa, qua Sanctissimi quique sepius laborātes, vt Iob, ca. 3. quasi iniuste affigerentur à Deo, submurmurant. Imputat autē hæc filij mortem præteritis peccatis